Ob12 1890 s.

INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCXC

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. JOSEPHI KRAUSE** COMMENTATIO PHILOSOPHICA:
Quomodo s. Bonaventura mundum non esse aeternum, sed tempore ortum demonstraverit.

BRUNSBERGAE, 1890.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. HUGO WEISS,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Quomodo s. Bonaventura mundum non esse aeternum, sed tempore ortum demonstraverit.

Caput I.

De statu quaestionis.

§ 1.

1. Quum de aliis rebus tum de hac quaestione, num ratione demonstrari possit, mundum non posse non natum esse tempore, Thomas Aquinas et Bonaventura inter se differunt. Censet quidem ille ratione nos cognoscere, posse mundum originem habuisse, qua de re omnes mediae aetatis theologi, ne Bonaventura quidem excepto, cum eo faciunt, sed necessario habuisse neque potuisse non habere, hoc evinci posse negat. Nam ne aeterna quidem creatio, si eum sequimur, evidenter refelli potest; quam propter causam de creatione temporali non sola ex ratione constare, sed tantummodo ex fide videtur.[1])

2. Vix possumus non mirari, s. Thomam istam profiteri sententiam, quum nullus ex iis qui aliqua pollent auctoritate scholasticis idem docuerit.[2]) Quid, quod non habet auctorem nisi Aristotelis

[1]) Cf. S. th. p. I. q. 46. a. 2.

[2]) Thomas fusius disserit de hoc genere in opere suo „Summae theologiae" (p. I. q. 46. a. 2) et in „Summa contra gentiles" (II. 38) et in peculiari quadam commentatione, quae inscribitur: „De aeternitate mundi (contra murmurantes)". In hac magis enititur, ut mundum initio carere posse, in illa, ut initium mundi demonstrari non posse nobis persuadeat.

sectatorem judaicum, Mosen dico Maimonidem.[3]) Ex ejus fontibus suos in hoc genere rerum irrigavit hortulos; ex ejus doctrina et ipsam sententiam, de qua agitur, desumsit et argumenta. Neque invidet nobis causam, cur illius placita in suum usum transtulerit. In fide, inquit, omnibusque, quae pertinent ad fidem, haud e re esse videtur, alia afferre argumenta nisi ab omni dubitatione libera immuniaque; infideles enim, si quidem argumenta fidei nostra irridendi locus iis relinquitur, fidem ipsam, quae istiusmodi argumentis nitatur, suo jure sibi videntur irridere.[4])

3. Ponit igitur s. Thomas atque sua sponte constare arbitratur, creationem temporalem mundi fide christiana doceri et dogmata fidei non demonstari ratione humana, sed hauriri ex revelatione divina. Diserte haec enuntiat: „Sed contra fidei articuli demonstrative probari non possunt. Sed Deum esse creatorem mundi sic quod mundus inceperit esse, est articulus fidei . . . . Ergo novitas mundi habetur tantum per revelationem et ideo non potest probari demonstrative.“[5]) Recte is quidem, si versatur in meris mysteriis; sed exstant quoque multa, quae et revelata sunt a Deo et intelliguntur ab homine. Quae quum ita sint, creatio mundi temporalis item a Deo revelata esse potest et cognita a ratione humana.

4. Hoc quidem consentaneum non est, ex ipsius Thomae sententia creationem de nihilo esse veritatem philosophicam,[6]) creationem temporalem non esse;[7]) consentaneum non est, difficiliora ratione capi posse, non posse faciliora. Nemo enim inter antiquos unquam exstitit philosophus ne Aristoteles quidem — id quod premit s. Bonaventura[8]) — nemo, qui quaerendo invenerit, ex nihilo esse creatum mundum; eundem vero tempore demum, non ab aeterno exstitisse, ni omnia fallunt, jam

---

[3]) Cf. Stoeckl, Die thomistische Lehre vom Weltanfange in ihrem geschichtlichen Zusammenhange in „Katholik“ 1861, tom. I.

[4]) S. th. p. I. q. 46. a 2: „Et hoc utile est, ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus existimantibus, nos propter hujusmodi rationes credere, quae fidei sunt. Cf. S. Thom. In libr. sent. II d. l. q. l. a. 5; Quodl. 3. a. 31.

[5]) S. th. p. I. q. 46. a. 2.

[6]) „Respondeo, quod creationem esse non tantum fides tenet, sed ratio demonstrat.“ In lib. sent. II d. l. q. l. a. 2.

[7]) Et tamen uno loco, ubi de Dei exsistentia agitur, implicite mundi initium temporale s. Thomas quodammodo concedere videtur. „Invenimus“, inquit, „in rebus quaedam, quae sunt, possibilia esse et non esse . . . Impossibile est autem omnia, quae sunt, talia semper esse; quia quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset.“ S. th. p. I. q. 2. a. 3. Si enim viam ac rationem ratiocinandi spectas, vix stare posse videtur argumentatio nisi temporalis originis fundamento superstruatur. Videsis praemissam: „quandoque non est“ et deductionem: „aliquando non fuit“. Optimo jure hac deductione utar ad hujusmodi fere disputationem: quod possibile est non esse, quandoque non est; mundus possibilis est non esse; ergo aliquando non fuit. Quid inde sequitur? Mundus non potest semper fuisse, quoniam est ex numero rerum contingentium, quae non habent illud esse perpetuum; ergo aliquando non fuerunt. Quodsi non semper fuit mundus, consectarium est, eum tempore exstitisse. Cf. Zeitschrift für katholische Theologie 1878, p. 489.

[8]) „Utrum (Aristoteles) posuerit materiam et formam factam de nihilo, hoc nescio; credo tamen, quod non pervenit ad hoc.“ II S. d. l. p. I. a. l. q. l. Aliter s. Thomas, cf. Quaest. disp. De pot. q. 3 a. 5; S. th. p. I. q. 44. a. l. — Num Aristoteles de creatione recte senserit docueritque, de ea re ne hodie quidem inter viros doctos constat. Affirmant quidem Peschius (Institutiones philosophiae naturalis, p. 556, n. l.), alii, praecipue autem Brentano. Hic enim dissertatione quadam: „Von dem Wirken, insbesondere von dem schöpferischen Wirken des Aristotelischen Gottes“ — quam tractatui: „Die Psychologie des Aristoteles“ adjunxit, illud explicatius efficere conatur. Negat Stoeckelius (Metaphysik, 6. ed. p. 185. n. l.). Ergo si quaesiveris, num affirmem an negem, veritatem, ut ajunt, in medio positam dixerim — id quod etiam Kleutgenius (Philosophie der Vorzeit, 2. ed. II tom. n. 981) significare mihi videtur: Aristotelem non quidem plena Dei ut creatoris omnium rerum notitia imbutum fuisse, sed haud ignorare praemissas, e quibus quisque acile veram mundi originem enucleare poterit. Cf. Aristot. Metaph. II. 1.; XII. 7 et 10; De coelo I. 9. —

Plato senserat.[9]) Et rationem fide christiana illuminatam non demonstrare posse tale quid, quod ne ethnicum quidem plane fugerat!

5. Aliam atque s. Thomas sententiam profitetur s. Bonaventura Alexandrum Halensem secutus confisusque, omnem de temporali initio mundi animis nostris scrupulum se eximere posse. Inde a Thoma et Bonaventura usque ad nostram memoriam controversia sibi constat. Duns Scotus satis habet, ambas sententias et utriusque argumenta in medium proferre.[10]) Hodie ii tantummodo, qui artissime premunt Aquinatis vestigia, isti ejus opinioni adstipulantur,[11]) alii aeternam creationem nonnisi ad substantias nulli variationi subjectas,[12]) animam et angelum, referunt, quum plurimi scholasticae philosophiae sectatores omnium rerum creatarum originem temporalem in numero eorum dogmatum ponant, quae simplici ratione assequi valeamus.[13])

6. Haud ignorat s. Bonaventura, hanc veritatem fundamenti instar esse, quo sublato multae aliae veritates cadant necesse sit, servato stabilitae atque confirmatae videantur. Hinc indignatio, quacum Bonaventura illam sententiam contrariam respuit. Dispicere se contendit illorum ratiocinandi viam, qui aeternam extra Deum positam materiam statuant cum Aristotele ideoque mundi aeternitatem defendant;[14]) nullo autem pacto assequi se posse, quomodo quis mundum de nihilo factum eundemque aeternum esse posse arbitretur: „hoc adeo esse contra rationem, ut nullum philosophorum quantumcumque parvi intellectus crediderit hoc posuisse.“[15])

7. Bonaventura mitis ille atque clemens placitorum uniuscujusque adversarii interpres, qui, quae inter se pugnant, sententias conciliare et ad altiorem quendam consensum revocare solet, tam acriter invectus non esset in adversarios, nisi omnino ei constaret, suam sententiam esse verissimam, illorum autem omni probabilitate destitutam. Facile nos quoque illi hoc dabimus, argumenta, quae profert, quo accuratius examinentur, eo magis placere. Nos vero eandem rem fusius tractaturos scitote cum Bonaventura eam in quaestionum gravissimarum, quae a philosophis disputari possint, numero ponere.[16]) Si enim demonstrari potest, mundum absque initio esse non posse, funditus eversa est materialismi doctrina, quae materiae aeternitatem, et pantheismi, quae aeternam infiniti evolutionem et perfectionem praeadicat. Ea quidem, quae ad defendendam mundi orginem aeternam aliquis valere

---

[9]) Cf. Tim. p. 28 A. De qua re Zellerus (Vorträge und Aufsätze III Coll. p. 5) annotat: „Bei Plato hat die Schilderung der Weltbildung eine so mystische Gestalt, dass wir nicht berechtigt sind, ihm die wissenschaftliche Ueberzeugung von einer zeitlichen Entstehung der Welt zuzuschreiben; aber es liegt auch keine Aeusserung von ihm vor, die uns in den Stand setzt, sie ihm mit Bestimmtheit abzusprechen.“ Cf. Kleutgen. l. c. n. 652. Alii in alias partes abeunt; cf. Ueberweg, Grundriss der Geschichte der Philosophie, 3. ed. I tom. p. 234. —

[10]) In lib. sent. II d. l. q. 3.

[11]) Cf. Commer, System der Philosophie, II tom. p. 36; Plassmann, Die Schule des hl. Thomas V tom. p. 369 et 370. —

[12]) Cf. Suarez, In summa tom III tr. l. c. 2. Metaph. disp. 20, sect. 5. — Zigliara, Cosm. I. c. 3. —

[13]) Cf. Hagemann (Metaphysik, 3. ed. p. 201 et p. 202), Stoeckl (Metaph. 6. ed. p. 209 et 210), Stentrup (Das Dogma von der zeitlichen Weltschöpfung), Pesch (l. c. p. 570 et 571), Heinrich (Dogmatische Theologie, tom. V, § 264), alii.

[14]) S. Bonaventura recte habet. Si enim ex se inde ab aeternitate esset materia, quam Deus non crearet, sed formaret: tunc ex eo, quod materia formis destituta exsistere nequit, consequens esset, mundum ex aeterno formatum esse. Item qui oriri facit mundum ex causa naturali, necessario statuet, eum semper in actu oriundi fuisse. Nam naturalis causa ea est, ex qua effectus cum necessitate fit; ut sit illa sempiterna, hic sempiternus est.

[15]) II S. d. l. p. l. a. l. q. 2.

[16]) Idem sentit Zellerus, l. c. p. l. — Haec quoque Aristotelis de aeternitate mundi doctrina summi est momenti patetque latissime ad universam ejus philosophiam. Sane praesumta origine aeterna mundi supersedere potuit difficillimo negotio originis mundi explicandae; suum erat, qualis tantum mundus esset demonstrare, neque quo modo ortus esset.

opinetur, jam ab Aquinate explicite disceptata legimus. Idcirco eorum potissimum argumentorum rationem habebimus, quibus aeternam creationem universi esse possibilem demonstrare nititur.[17])

§ 2.

1. Duplici via s. Bonaventura ad temporalem mundi creationem pervenit. Primum proficiscitur ex eo, quod qui aeternam creationem esse opinetur, idem immensam rerum actualium multitudinem sive numerum infinitum realiter discretum concedere debeat. Sic per demonstrationem a posteriori et per deductionem ad absurdum evincit, proprietates, quae ex infiniti notione necessario emergant, non pertinere ad res creatas, immo eis esse contrarias; id quod evidens fit quinque primis Bonaventurae demonstrationibus.

2. Quodsi s. Bonaventura loquitur de infinito, obversatur ei infinitum actu, quod alibi nuncupat infinitum negative, distinctum ab infinito potentia vel infinito privative.[18]) Hoc enim tale est, ut habeat quidem actu finem vel terminum, possit tamen semper crescere et augeri; infinitum actu est id, quod finibus plane est destitutum, quoque majus quidquam neque exsistere potest neque cogitari. Id quod, si proprie loquimur, aeternum est, apparet infinitum actu. Nam aeternitas per se durat et permanet nullis circumscripta finibus aut a parte ante aut a parte post. Idcirco Bonaventura disertis verbis: „Aeternitas dicit infinitum actu.“ [19]) Qui vero viri docti non satis attenderunt ad discrimen illud, quod interest inter infinitum potentia et infinitum actu, multifariam erraverunt.

3. Secundo loco s. Bonaventura efficere studet — id quod fit demonstratione sexta — eos secum pugnare ipsos, qui creaturae ab non-essendo ad esse traductae principium derogent; immo creaturae notioni necessitatem initii temporalis sua sponte inhaerere.

---

17) Zellerus quoque (l. c.) promit nonnulla argumentorum illorum.

18) „Alio modo finis dicitur terminus, sicut finis agri, et sic infinitum dicitur quod caret termino et statu. Et hoc potest esse dupliciter secundum negationem, quia potest intelligi privative et negative: privative, quia non habet terminum, sed tamen natum est habere, propter hoc quod habet esse limitatum, et hoc modo dicit incompletionem et non est in Deo. Alio modo negative, quod non habet terminum nec est natum habere; et hoc modo ponitur in Deo propter summam immensitatem.“ I S. d. 43. q. 2. — Medii aevi philosophi illud infinitum actu fere appellant infinitum categorematicum et illud infinitum potentia appellant infinitum syncategorematicum. De quibus vocabulis Peschius (l. c. p. 451): Categorematici vox obscura est, quae rem apertam significat. Ita antiqui illum terminum vocabant, qui, quum ex se aliquid significet, a consortio alterius termini non pendet, itaque sine ullo addito enuntiari potest. Contra syncategorematicus ille est terminus, cujus significatio a consortio alterius ita pendet, ut sine illo notionem plenam non habeat. Infinitum actu limites negat absolute et in recto; infinitum autem potentia limites non negat nisi in obliquo et quoad additum.“ — Eadem ratione recentioris temporis philosophi infinitum dividunt in infinitum metaphysicum et infinitum physicum. —

19) I S. d. 44. a. 1. q. 4. ad 2. —

Caput II.

De singulis argumentis.

§ 3.

Argumentum primum.

1. Exordiamur a primo argumento. A generali principio jam Aristoteli cognito: „Infinito nihil majus“[20]) profectus s. Bonaventura sic ratiocinatur. Si mundus aeternus esset, duratio ejus esset infinita actu. Infinita augeri non possunt; nam quae augentur, majora fiunt, infinitum vero per se est maximum, quo majus nihil ne in cogitatione quidem exsistere potest. Quodsi mundus sine principio exsisteret, duratio ejus incrementa capere non posset; re vera autem duratio singulis diebus augetur; ergo mundus non potest esse aeternus.[21])

2. Hunc syllogismum non effugiet, qui contendet, mundi durationem illam sempiternam finibus non subjectam esse a parte ante, quoad praesens et futurum (a parte post) non infinitam esse ideoque non abhorrere ab incrementis.[22]) Sed ista explicatio stare non potest, id quod Bonaventura hoc modo demonstrat. Ut enim sit mundus aeternus, sol innumerabilibus vicibus ad nostros usque dies revolutus est circa mundi centrum. Atqui luna duodecies anno volvitur circa solem; ergo sequitur, eam duodecies infinitum illum numerum revolutionum solis implevisse. Duo igitur emergerent infinita: majus quidem illud, hoc vero minoris moduli, id quod absurdum est. Duratio actu infinita non est nisi una. Ergo mundi duratio ne in praeteritum quidem (a parte ante) infinita esse potest.[23]) Cujus argumenti pondus non imminuitur, si systemati Copernicano adhibemus, ut recte Stoeckelius annotavit.[24])

3. Neque ita infringitur Bonaventurae argumentatio, ut quis moneat, nostram esse et in nostro animo positam, non in natura rerum distinctionem et computationem singulorum annorum et mensium, ipsius vero mundi non esse lacunas, sed seriem integram et continuam, quamvis multi ac

---

20) Cf. De coelo I, 12, ubi tempus infinitum definitur, quo non est majus: *ὅτι ὥρισταί πως ὁ ἄπειρος χρόνος, οὗ οὐκ ἔστι πλείων.*

21) „Prima est haec. Impossibile est infinito addi — haec est manifesta per se, quia omne illud, quod respicit additionem, fit majus, „„infinito autem nihil majus““ — sed si mundus est sine principio, duravit in infinitum: ergo durationi ejus non potest addi. Sed constat, hoc esse falsum, quia revolutio additur revolutioni omne die: ergo etc. II S. d. l. p. I. a. l. q. 2.

22) Assentitur s. Thomas; cf. C. G. II, 38 et In libr. sent. II d. l. q. l. a. 5 ad 4.

23) Si dicas: quod infinitum est quantum ad praeterita, tamen quantum ad praesens, quod nunc est, est finitum actu et ideo ex ea parte, qua finitum est actu, est reperire majus: haec est veritas infallibilis; quod si mundus est aeternus, revolutiones solis in orbe suo sunt infinitae; rursus pro una revolutione solis necesse est fuisse duodecim ipsius lunae: ergo plus revoluta est luna quam sol; et sol infinities: ergo infinitorum ex ea parte, qua infinita sunt, est reperire excessum. Hoc autem est impossibile: ergo etc.“ II S. d. l. p. I a. l. q. 2.

24) Cf. „Katholik“ 1883, tom. I p. 354. n. l.

diversi motus dinumerentur. Respondemus: Non negamus unitatem, sed in ea ipsa apparent partes distinctae et terminatae, quas ipsa rerum natura efficit, quaeque nobis modulum tantum atque mensuram praebent, veluti dies et anni, hiems et aestas. Tempus igitur determinatur iis, quae in natura rerum fiunt, indeque omnino pendet. Si quis autem statueret, processus illos esse aeternos, eorum ratio ac necessitudo non mutaretur, hi processus magis forent infiniti illis, nunquam aequales; nam eo quod tempore infiniti sunt, non tollitur propria eorundem qualitas et conditio.[25])

4. Neque ratio non habenda alius cujusdam objectionis, quam, qui infinitam ab ante creationem defendunt, proferre solent. Nimirum neminem in dubium vocare essentium spiritualium futurum tempus (aevum a parte post) infinitum fore; propterea aevum a parte ante quoque exsistere posse. Sed ipsa haec analogia tantum abest, ut id probet, quod sibi probare videtur, ut tempus ab ante infinitum nequaquam cogitari posse persuadeat. Nam futurum tempus, quod nobis nunc de eo disserentibus fine carere videtur, re vera fine carebit, nunquam autem absolutum erit, unum momentum excipit alterum, nunquam infinitum actu; aevum non est aeternitas, quippe quae esse absolutum et indivisum exhibeat. Hinc consequens esset, ut infinitum tempus a parte ante nunquam revera exsistere posset, nunquam realitatem esset assecutum. Ergo omnis creaturae esse a certo aliquo temporis momento initium oportet ducere.

5. Quod attinet ad creaturas incorruptibiles, sic potius oportet ratiocinari: Planum fecimus modo (n. 2), plures durationes actu infinitas locum non habere, sed durationem infinitam esse dumtaxat unam, aequalem quoad extensionem infinitae durationi Dei, nempe totam simul atque immutabilem. Unde sequitur, ut creatura, quae esset aeterna a parte ante, eadem foret aeterna a parte post, propterea que non posset ad nihilum redigi ab ipso Deo. „Difficile enim est intellectu, quomodo duratio aliqua infinita finiri possit, illimitata limitari, interminata terminari.“[26]) Quoniam vero nemo contendet, quasdam creaturas potestatem Dei effugere posse, iisdem nemo aeternitatem adjudicabit.

---

§ 4.

Argumentum secundum.

1. Alterum Aristotelis de infinito principium: „Infinitorum nihil est primum.“[27]) Huic principio Bonaventura alteram suam probationem superstruit hanc: „Impossibile est infinita ordinari. Omnis enim ordo fluit a principio in medium; si ergo non est primum, non est ordo; sed duratio mundi sivi revolutiones coeli, si sunt infinitae, non habent primum, ergo non habent ordinem, ergo una non est ante aliam. Sed hoc est falsum; restat ergo, quod habeant primum. Si dicas, quod statum ordinis non est necesse ponere, nisi in his, quae ordinantur secundum ordinem causalitatis, quia in causis necessario est status: quaero, quare non in aliis? Praeterea, tu ex hoc non vades; nunquam enim fuit revolutio coeli, quin fuisset generatio animalis ex animali; sed constat, quod animal ordinatur ad animal, ex quo generatur secundum ordinem causae; ergo si secundum Philosophum et

---

25) Ita etiam refutantur, quae Frohschammerus (Athenaeum, I tom. p. 623 et 624) de objectione illa, quam supra attuli, censet.

26) Cf. ephemer. „Divus Thomas“ II vol. p. 508.

27) Cf. Phys. VIII, 5.: *Τῶν ἀπείρων οὐκ ἔστιν οὐδὲν πρῶτον.*

rationem necesse est ponere statum in his, quae ordinantur secundum ordinem causae, ergo in generatione animalium necesse est ponere primum animal. Et mundus non fuit sine animalibus, ergo etc.“[28])

2. Nihil aliud voluit s. Bonaventura nisi hoc: Ubi ordo sit, ibi necessario initium esse; ordinem esse seriem rerum, quarum novissimae primas et medias excipiant. Ejusmodi autem successionem rerum neminem sibi informare posse, quin aliquam rem credat primam fuisse; seriem infinitam ipsam secum pugnare. Si igitur esset duratio mundi aeterna, jam ut omne principium, sic omnis quoque series, omnis successio, omnis ordo rerum diversarum ab isto mundo alienus esset. Atqui aliter res comparata est: ubicunque incidimus in successionem temporalem, in causas effectusque. Potissimum in animantibus percipimus generationum seriem, quae nostram ratiocinationem perducit ad generationis principium, ad primam quamlibet animantem singulorum ordinum, a qua exorta sit atque profecta universa generationis series; nam in ea serie et nexu causarum regressus in infinitum cogitari non potest. Ergo mundus aeternus esse nequit. Summa demonstrationis redit eo, ut ordinis, seriei, evolutionis notio contineat involvatque initii necessitatem. Atqui deprehendimus in mundo talem ordinem, seriem, evolutionem; ergo mundus habet initium. Et quis ab hoc syllogismo abjudicet recte procedendi simplicitatem?

3. Successionis igitur vis ac natura, quae in rebus mundanis primo obtutu animadvertitur, persuadet, eas non ab aeterno creatas esse posse. Successio nempe constat elementis, quorum alia aliis neccessario aut priora aut posteriora sunt; ubi igitur successio, ibi rerum succedentium multitudo. Successionum aeternitas aeternitatem rerum sibi succedentium et multitudinem actu infinitam postularet; infinita autem multitudo ipsa secum pugnat. S a n s e v e r i n o quidem memorat: „Non defuere, quemadmodum Aquinas ad hanc rem advertit, inter veteres, quibus in infinita rerum multitudine actuali nullam dari repugnantiam visum fuit, eisque nonnulli acuti philosophi recentes, in primisque Leibnitzius plausere. Atqui ex theoria, de qua a philosophis utrinque disputatur, nulla certa inconcussaque conclusio duci potest:“[29]) — verum enimvero longe maxima pars philosophorum locupletissimique auctores explodunt numerum actu infinitum. At auctoritas in rebus philosophicis quid tandem sibi vult? Vi argumentorum gravissimorum ac necessitate demonstratum est, numerum actu infinitum non stare posse. Ejusmodi enim numerus foret necessario omni numero major, quem quis cogitando posset assequi. Natura autem numeri fert, ut possit augeri et minui; ergo iste numerus actu infinitus non esse potest, neque exsistit numerus infinitus, sed tantummodo i n d e f i n i t u s. Ex aequalibus nostris subtiliter ea de re disputat P e s c h i u s [30])

4. Quae in contrariam partem disserit s. Thomas, futilia sunt. „Dicendum, inquit, quod in causis e f f i c i e n t i b u s impossibile est procedere in infinitum per se, ut puta, si causae, quae per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum, sicut si lapis moveretur a baculo et baculus a manu et hoc in infinitum. Sed per accidens in infinitum procedere in c a u s i s a g e n t i b u s non reputatur impossibile, ut puta, si omnes causae, quae in infinitum multiplicantur, non teneant ordinem nisi unius causae, sed earum multiplicatio sit per accidens, sicut artifex agit multis martellis per accidens, qui unus post unum frangitur. Accidit ergo huic martello, quod agat post actionem alterius martelli [31]); et similiter accidit huic homini, in quantum generat, quod sit generatus ab alio; generat enim,

---

28) II S. d. l. p. I. a. l. q. 2.

29) Cosmol. c. VII a. 4.

30) Institutiones philosophiae naturalis, p. 452 sqq. Cf. „Philosophisches Jahrbuch“ 1889, p. 440 sqq.

31) Exemplum istud non pertinere videtur ad id, quod agitur, quia singularum causarum, mentio quarum injecta est, non ea est necessitudo, quae causarum efficientium in generatione. Illic causae occurrunt, quarum nulla pendet ab aliis, hic series causarum, quarum unaquaeque superiore causa effecta est.

in quantum homo, et non in quantum est filius alterius hominis. Omnes enim homines generantes habent gradum unum in causis efficientibus, scilicet gradum particularis generantis. Unde non est impossibile, quod homo generetur ab homine in infinitum; esset autem impossibile, si generatio hujus hominis dependeret ab hoc homine et a corpore elementari et a sole et sic in infinitum."[32])

5. Distinctio quidem, qua in refutando utitur s. Thomas, nobis non videtur explicare id, quod ei est propositum. Nimirum duo discernit genera causarum, quae me judice in hac ipsa quaestione, in qua mera causalitas spectatur, eandem admittunt consequentiam. In priori causarum efficientium genere effectus alterius pendet ex alterius effectu, unius entis efficientis conditio efficiendi necessario posita est in altero; in qua causarum serie non possumus quin aliquando aliquam primam assequamur, quandoquidem infinitam conditionum multitudinem sese excipientium animo nostro informare non possumus. Aliter censet s. Thomas rem esse comparatam in causis ordinis generandi: causam efficientem enim virtutem operandi in se ipsam tenere neque in operatione sua ultro pendere ex causa praecedente. Suboritur autem quaestio, unde causa illa efficiens duxerit suum esse, sine quo causa efficiens esse non possit; non habet a se ipsa, sed accepit ab alia causa, ergo hac alia innititur. Si ex ejusmodi conditione pendet quoad esse, item pendet indirecte quoad efficacitatem; efficax enim non est nisi quatenus realiter ipsa exsistit. Esse autem tanquam causam actionis generandi ab alio ente generante accepit, quoad ens et generans respicit ad aliam causam. Priores, quas memoravimus, causae conditionibus utebantur directis, hae vero indirectis. Utrobique ergo infinitam nancisceremur seriem conditionum sibi succedentium, si in generationibus mundum concederemus principio carere posse, id quod absonum est.[33])

6. Porro ut hoc denuo premam, fac generationes sine principio esse: jam in unoquoque genere novissimam generationem infinitus numerus generationum praecesserit necesse est. Denique hypothesis aeternae generationum seriei non consentiret cum notione creationis.[34])

7. Forsitan quispiam objecerit haec: Aliud esse generationibus initium vindicare, aliud mundo universo ante generationes subsistenti; animantes fortasse tandem subnatas esse, postquam mundus non exorsus jam exstiterit, aeternitatem soli materiae competere, quae propter vires jam ab initio ipsi insitas varias formationes subierit. At pro creationibus aeternis aeternam formationum seriem deberemus statuere, quarum aliae priores essent, aliae posteriores; ergo revolveremur ad eandem primariae cujusdam causae necessitatem; regressus enim in infinitum absurdus est. Latius igitur patent quae demonstravimus de rerum generatarum principio pertinentque ad omnes res creatas.

8. Non alia fit ratiocinatio, si quis cum Aquinate sumit, „in instanti" mundum creatum esse.[35]) Ne is quidem, qui negaret id, quod nostrae aetatis rerum naturalium investigatio docuit, mundum paulatim esse formatum — ne is quidem non videret, evolutione mundi, qualis revera cognoscitur, indicari principium mundi. Processus nunquam potest pervenire ad aliquem finem, nisi

---

[32]) S. th. p. I. q. 46. a. 2.

[33]) Cf. Zeitschrift für katholische Theologie, 1880, p. 486: „In einer Verkettung von Bedingungen kann es keinen regressus in infinitum geben, wenn das Bedingte existensfähig sein soll, oder mit andern Worten: eine ins Unendiche sich verlaufende Kette von verwirklichten subordinirten Bedingungen ist nicht möglich. Die Wahrheit dieses Satzes kann nicht beanstandet werden; denn da die Erfüllung jeder Bedingung, bevor sie eintreten kann, immer die Realisirung einer früheren Bedingung voraussetzt, so kann keine von allen thatsächlich sich erfüllen, wenn die Voraussetzungen in das Endlose sich verlaufen, und nicht eine erste Bedingung wirklich gesetzt wird, von welcher dann die Erfüllung der folgenden abhängt. Nun ist aber ein solcher regressus unvermeidlich, wenn das Universum keinen Anfang hat; wir können somit die ewige Existenz der Welt nicht festhalten, ohne uns in eine Menge von Widersprüchen und Absurditäten zu verwickeln. Cf. Langen, Thomas von Aquin von der philosophischen Möglichkeit der ewigen Weltschöpfung, p. 18.

[34]) Suaresius quoque (De op. VI dier. tr. l. l. l. c. 2) infinitas generationes stare posse negat.

[35]) Cf. opusc. „De aeternitate mundi."

ex aliqua parte profectus est.[36]) Ceterum actionis instantaneae notio amplectitur notionem temporis. Nam actio instantanea ab eo appellatur, quod in instanti absolvitur; sed instans tempus, quamvis indivisibile sit, est nihilominus tempus, saltem initium temporis. Ergo actionis instantaneae et successivae distinctio non commendat aeternitatem mundi.

9. Neque tamen nimium huic tribuam evolutionis notioni, quia ipse Bonaventura peculiarem ejus mentionem demonstrationi suae non injecit. Non derogatur enim argumentandi evidentiae eo, quod meram successionem rerum naturalium spectamus. Nullus exsistit absolutus rerum ordo, quin primum et ultimum aliquid praebeat; nulla successionum exsistit catena, nullum tempus sine principio et fine. Ut unumquodque mutationum genus terminatum est ab utraque parte, sic tota catena.[37])

10. Ergo commutatio rerum, qualis in mundo exsistit, indicat rerum creatarum principium. Ubi enim aliquid mutatur, ibi prius est temporis momentum, ibi posterius, ibi tempus. Quis vero infitiabitur, res mundanas immutari? At quispiam objiciat, integrum et solidum mundum non mutari, partes tantummodo mutari ita, ut earum necessitudo ac relatio mutetur. Hinc pantheismi asseclae deducunt, mundum mutabilem eundemque principii expertem cogitari posse.[38]) Respondeo: Sic omnem tolli totius mundi et partium concentum. Quid enim est mundus? Num „purus processus logicus, in quo ratio absoluta sese evolvit, quippe quae ex se exeat tanquam natura et ad se revertatur tanquam spiritus?“[39]) Numne organismus, qui singulatim secernit ac dimittit particulas?[40]) Immo mundus est rerum creatarum universitas. Si partes mutantur ita, ut transformentur, pereant novarumque formationum germina evolvant, universitas eadem mutandi lege adstricta tenetur. Quapropter quod in partes, idem cadit in totum. Nimirum illi hariolantur, posse idem ens temporale aeternumque esse, finitum et infinitum.

11. Forsitan alii in processu virium mundi universi conservandarum, firmissime eo nuper a Clausio[41]) et Helmholtzio[42]) stabilito, etiam aeternitatis necessitatem inesse credant. Concedendum sane erit, hanc legem suffragari infinito motui corporum; at alia lege, quam idem ille Clausius eruit, illius fines arte describuntur[43]) — eam dico legem, quae versatur in caloris quadam conservatione: viribus, quae semel in calorem transiissent, reditum ad genuinam formam non patere ita, ut nihil caloris restet motusque genuinus omnino restituatur in integrum. Velut calor, in quem cujuslibet corporis, quod aliquo appellebatur, gravitas transformata est, non totus impendi potest ad idem corpus relevandum. Conservantur igitur sine ullo detrimento vires ea lege, ut quippiam, quantulumcunque est, in calorem conversum subsistat. Quodsi decursu quodam omnium rerum ac motionum facto cunctae vires caloris formam subierint, omnes universae partes aequilibrium nactae omnium processuum requiem ac stationem efficient — ecce finis mundi. Aeterna igitur mundi evolutio jam in censum atque aestimationem philosophis non veniet.

---

36) Cf. v. Hertling, Grenzen der mechanischen Naturerklärung, p. 22 sq.

37) Cf. Zeitschrift für katholische Theologie, 1878, p. 484 sq. et 1880, p. 445 et 446. —

38) Cf. Zeller, Vorträge und Abhandlungen, coll. III p. 24: „So ruhelos auch die Veränderung ist, der alles in der Welt unterliegt, so kann sie doch immer nur die einzelnen Teile der Welt betreffen: diese entstehen und vergehen, ändern ihren Zustand und gehen in einander über. Das Ganze dagegen, welches diese veränderlichen Teile in sich befasst, bleibt als solches unverändert.“

39) Cf. Hegel, Encyklopädie § 200—210. —

40) Cf. v. Hartmann, Philosophie des Unbewussten, p. 508. —

41) Cf. „Abhandlung über die mechanische Wärmetheorie.“

42) Cf. „Ueber die Wechselwirkung der Naturkräfte,“ wieder abgedruckt in: Vorträge und Reden, II p. 99 sq., et „Ueber die Erhaltung der Kraft,“ ibid. II p. 137 sq.

43) Haec lex a Clausio nuncupatur: „Gesetz von der Zerstreuung der Energie.“ Cf. Clausius, Ueber den zweiten Hauptsatz der mechanischen Wärmetheorie.

12. Non desunt quidem, quibus „magnus ab integro saeclorum nascitur ordo", ut puta Du Prelius collisione facta globorum coelestium tam ingentem arbitratur futurum esse calorem, ut in vaporem dissoluti novae formationis elementa suppeditent.[44]) At omni caloris discrimine sublato nova evolutio locum non habet secundum alteram legem Clausianam, quae plenam atque perfectam instaurationem virium ex calore fieri prohibet. Pars igitur, non summa caloris formam virium recuperaret, ex quo consequens esse vides, ut hac rerum iterata transformatione aliquo tempore firmo neque in infinitum dilato ad verum finem mundus deventurus sit.[45]) Quae alii in eam partem disputant, ut aeternitatem universi teneant, vix operae pretium est percensere.[46])

13. Adhuc diximus de rebus sibi succedentibus i. e. corruptibilibus. Eadem est conditio rerum permanentium, animae humanae et angelorum. S. Thomas permanentibus quoque rebus certam quandam transmutationem attribuit — adjunctam eam quidem vel in actu vel in potentia.[47]) Non possumus quin istius modi mutationem statuamus; si non, aevum, quo rerum permanentium durationem metimur, a tempore essentialiter, ab aeternitate non differret. Et tamen essentialis differentia aeternitatis et rerum creatarum durationis in eo cernitur, quod hae postulant transmutationem, illa abhorret ab ea. Quibus praesumtis eodem modo concludere licet, quo supra (§ 4 n. 3) de successione conclusimus in universum: Res permanentes habent transmutationem sive successionem adjunctam vel in actu vel in potentia; recipiunt igitur aliquid prius et posterius. Quodsi res istae ab aeterno procreatae sunt, ab aeterno eadem mutatio iis inest. Mutatio ab aeterno parit multitudinem actu infinitam. Ergo posita creatione aeterna rerum permanentium exsisteret quoque multitudo actu infinita, quae nullo pacto exsistere potest. Neque refert, quod res non per se mutantur sed secundum quid; si enim multiplicatio ab aeterno facta est sive fieri potest, utrobique nobis res est cum numero actu infinito. Objiciat quispiam, id ipsum negari, quod ulla creatura transmutationem adjunctam in actu habeat, immo esse adjunctam in potentia: respondemus, sufficere nobis, talem creaturam successionem habere adjunctam in potentia; sufficere, quod ei prius et posterius conjungi possint. Nequaquam enim exigitur, ut actu infinita multitudo exsistat; sufficit, eam exsistere posse.[48])

14. Etiam gravius hujus demonstrationis fit pondus successione reali, quam aevo assignat s. Bonaventura; quae tamen successio a successione temporis distinguitur. „In aevo est ponere", inquit, „prius et posterius, et est ponere aliquam successionem, aliam tamen successionem quam in tempore. In tempore enim est successio cum variatione, et prius et posterius cum inveteratione et renovatione. In aevo vero est prius et posterius, quod dicit durationis extensionem, quod tamen nullam dicit variationem nec innovationem. . . . In motu et in esse rei mobilis aliqua proprietas habita amittitur, vel non habita acquiritur; sed in esse rei aeviternae, quod primo datum est, per continuam Dei influentiam continuatur. Nulla enim aevi creatura est omnino actus nec aliqua ejus

---

44) Cf. Du Prel, Kampf ums Dasein am Himmel et Die Planetenbewohner.

45) Cf. Gutberlet, Das Gesetz von der Erhaltung der Kraft; Epping, Der Kreislauf im Kosmos; Fick, Die Naturkraft in ihrer Wechselwirkung.

46) Cf. König, Schöpfung und Gotteserkenntnis, p. 100 sq.

47) Esse rerum permanentium „nec in transmutatione consistit, nec est subjectum transmutationis; tamen habent transmutationem adjunctam vel in actu vel in potentia . . . patet de angelis, quod si habent esse intransmutabile, quantum ad eorum naturam pertinet, cum transmutabilitate secundum electionem, et cum transmutabilitate intelligentiarum et affectionum et locorum suo modo. Sic ergo tempus habet prius et posterius; aevum autem non habet in se prius et posterius, sed ei conjungi possunt; aeternitas autem non habet prius neque posterius neque ea compatitur." S. th. p. I q. 10. a. 5.

48) Cf. ephemer. „Divus Thomas" II vol. p. 573.

virtus, unde continuo indiget divina virtute cooperante. Ideo, etsi esse totum habeat, tamen continuationem esse non habet totam simul, et ideo est ibi successio sine aliqua innovatione circa esse vel proprietatem absolutam; tamen ibi est vera continuatio, respectu cujus creatura habet esse quodam modo in potentia, ac per hoc habet successionem. Solus igitur deus, qui est actus purus, est actu infinitus et totum esse et possessionem sui esse simul habet."[49]) Est igitur duratio rerum aeviternarum fluctitans, potest major esse et minor; hinc duratio habebit magnitudinem et extensionem, cujus mensuram ac modulum praestat tempus; aeternitas jam dilabitur. Quin licet affirmare, omni substantiae, quae non per se et ex necessitate exsistat, prius et posterius temporis inhaerere.

---

§ 5.

Argumentum tertium.

1. Tertia quoque Bonaventurae demonstratio nititur in principio quodam generali, quo jam Aristoteles usus erat: „Impossibile esse, infinita pertransiri".[50]) Concludit autem sic: Si non habuisset initium mundus, ad hodiernum infinitus esset praeterlapsorum dierum numerus; atqui „impossibile est, infinita pertransiri, ergo eodem pacto impossibile fuisset, ad praesens tempus nostrum pervenire; atqui perventum est, ergo mundus sine initio fuisse nequit."[51])

2. Non supersedit Bonaventura objectionem proferre hujusmodi: Revera pertransitos non esse infinitos dies, quoniam nullus eorum fuerit primus, unde transeundi initium posset fieri; porro tempore infinito infinitum dierum numerum pertransiri potuisse. Respondet s. Bonaventura: Praecessitne aliquis dies hodiernum diem infinitae instantiae intervallo, annon? Si nullus praecessit, omnes quotquot praeterlapsi sunt, finita tantummodo est cunctorum praeterlapsorum ab hodierno distantia; computari non possunt, quin finitum potius quam infinitum efficiant numerum. Fac aliquem diem infinito intervallo ab hodierno die distare, suboritur quaestio, num is quoque dies, qui secundus exceperit primum illum, infinite ab hodierno distet, annon. Si non infinite distat secundus, ne primus quidem, ut qui ab altero die finito tantum intervallo discretus fuerit; omnis infiniti temporis notio delabitur. Si vero esset infinita secundi et hujus nostri diei distantia, jam nescires, quid esset secundus dies, quoniam primi item ac secundi distantia ab hodierno infinita esset: infinita omnia inter sese aequalia. Idem fit de tertio, quarto die et ceteris; cunctorum consecutio ad nihil redigeretur et statueres, id quod absurdum foret, dies, qui hunc nostrum praecesserunt, omnes una fuisse. Hinc quam maxime planum fit, nequaquam infinitam aliquam dierum multudinem huic ipsi diei praemissam fuisse; dierum praeteritorum numerus, quamvis fuerit magnus,

---

49) II S. d 2. p. I a. l. q. 3. Quae s. Bonaventurae sententia, probata a nonnullis recentiorum scholasticorum (Conimbric. Phys. l. 4. c 14. q. 2; Maurus, quaest. phil. vol. II q. 32; Kleutgen, Philosophie der Vorzeit, 2. ed. I vol. n. 348), haud repugnat Aquinatis doctrinae, quam supra (n. 13) exposuimus, „si dicatur duratio non quidem eam habere in se successionem, quae ex successione ejus, cujus sit duratio, in ipsam redundet; habere tamen in se successionem ex se ipsa, quatenus in se varias partes habeat successivas, secundum quas variis partibus successionum temporalium coexsistat." (Pesch, l. c. p. 539).

50) *Τὸ ἄπειρον τὸ ἀδύνατον διελθεῖν τῷ μὴ πεφυκέναι διιέναι.* Metaph. X. 10. Cf. Analyt. post. I. 22 et saepius.

51) „Tertia propositio est ista. „„Impossibile est infinita transiri""; sed si mundus non coepit, infinitae revolutiones fuerunt; ergo impossibile est illas pertransire: ergo impossibile fuit devenire usque ad hanc." II S. d. l. p. I a. l. q. 2.

finitus est. Quemadmodum igitur tempus, quod conficitur summa dierum, aliquod initium habuit, sic habuere creaturae, quas a tempore segregare nulla valet ars disputandi.[52]) Haec demonstratio omnibus numeris absoluta, posita in ipsis temporis conditionibus, quibus omnis creatura subjecta est, non solum ad unum, quem oculis cernimus, revera factum mundum pertinet, sed latius patet ad quemlibet alium, qui fieri potuerit possitve.

3. Exhibet quidem s. Thomas refutandi causa talem ejus demonstrationis formam: „Si mundus semper fuit, infiniti dies praecesserunt istum diem, sed infinita non est pertransire: ergo nunquam fuisset perventum ad hunc diem, quod est manifeste falsum.“[53]) Contra disserit ipse haec: „Dicendum, quod transitus semper intelligitur a termino in terminum. Quaecunque autem praeterita dies signetur, ab illa usque ad istam sunt finiti dies, qui transire potuerunt. Objectio autem procedit, acsi positis extremis sint media infinita.“[54]) Sed si accurate rem perpendimus, s. Thomae argumentatio jam refellitur iis, quae s. Bonaventura ad suam, quam ipse protulit, objectionem respondit.

4. Ceterum Aquinatis argumentatio mediam controversiam non tangit. Primum enim fallitur, quod demonstrationem, de qua agitur, tum demum recte se habere existimat, si duo sint termini, quibus interjecta sit multitudo infinita; immo ista demonstratio eam thesin refutat. Deinde recte quidem addit, sese non videre nisi certum dierum numerum, qui possit transiri; sed praetermissum est id, in quo summa controversiae cernitur. Si unum aliquem mihi eligo diem praeteritum, terminavi universam catenam, quum argumentum illud, quo objectio aliquod initium mundi indirecte evincit, in catena infinita eademque impertransibili versetur; ergo s. Thomae refutatio in alium campum excurrit. An forte, quod ait a quovis dierum praeteritorum ad praesentem aditum patere, eo tendit, ut nobis persuadeat, etiam actu infinitum numerum dierum permeari posse pervenirique ita ad hodiernum diem? Istud nondum demonstratum esse, sed demonstrandum, siquidem non cum transitu per finitam, sed per infinitam multitudinem instituendo nobis res est. Nisi forte ex membris paulatim accrescentibus catenam infinitam credideris tandem exsistere posse. Non plane negare videtur s. Thomas his verbis: „Infinitum etsi non sit simul in actu, potest tamen esse in successione, quia sic quodlibet infinitum acceptum finitum est. Quaelibet igitur circulatio praecedentium transiri potuit, quia finita fuit; in omnibus autem simul (consideratis), si mundus semper fuisset, non esset accipere primam, et ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema.“[55]) Aut egregie fallor equidem, aut s. Thomas aliquid uno respectu infinitum actu, altero finitum putat esse. Liquet, eum de infinito actu praedicare id, quod infiniti potentia est. Hoc quidem revera est finitum, sed infiniti nomen ei licet tribuere ita, ut augendi et accrescendi terminus nullus inveniatur.

5. Idem Kantii est error, quum disserens de mundi sine initio exsistentis necessitate tempus reale confundit cum possibili. „Fac enim“, ait, „mundum initium habere. Quum initium in exsistentia versetur, quam tempus quoddam antecedit, in quo ea res non est, tempus

---

52) „Si tu dicas, quod non sunt pertransita, quia nulla fuit prima, vel quod etiam bene possunt pertransiri in tempore infinito; per hoc non evades. Quaeram enim a te, utrum aliqua revolutio praecesserit hodiernam in infinitum an nulla. Si nulla: ergo omnes finitae distant ab hoc, ergo sunt omnes finitae, ergo habent principium. Si aliqua in infinitum distat, quaero de revolutione, quae immediate sequitur illam, utrum distet in infinitum. Si non: ergo nec illa distat, quoniam finita distantia est inter utramque. Si vero distat in infinitum, similiter quaero de tertia et de quarta et sic in infinitum: ergo non magis distat ab hac una quam ab alia: ergo una non est ante aliam: ergo omnes sunt simul.“ L. c.

53) S. th. p. I. q. 46. q. 2.

54) L. c.

55) C. G. II. 38.

antegressum sit necesse est, in quo mundus non fuerit, hoc est tempus vacuum. Atqui in tempore vacuo nullus esse ortus ullius cujuspiam rei potest, quoniam nulla pars ejusmodi temporis prae alia quapiam parte conditionem exsistentiae distinctivam in se a conditione non-exsistentiae continet (sive per se ipsum ponitur sive ex aliena causa oriri). Igitur multae quidem rerum series in mundo poterunt exsistere, sed mundus ipse nullum potest initium habere ideoque ille ratione temporis praeteriti infinitus videtur".[56]) Propositio major falsa est. Initium enim temporis, quod tempus una cum mundo oritur, non praecedit tempus realiter vacuum, sed omnino nihil. Si animo nostro ac mente concipere videmur tempus vacuum aliquod reali tempore prius, est tempus fictum (possibile), quod, quantumvis retro diductum videatur, nihilo secius actu infinitum non potest esse neque animo serio obversari[57]). Sed ex ista opinione, ante mundi constitutionem exstitisse tempus realiter vacuum, tota demonstratio apta est. Quae quum cadit opinio, demonstratio stare non potest.

6. Haec igitur antitheseos primae antinomiae Kantianae demonstratio non stabit in examine; sed theseos oppositae argumentatio habet, quod defendi possit.[58]) Thesis haec est: „Mundus initium habet in tempore." Demonstratio vero sic est concepta: „Etenim constituamus, mundum secundum tempus nullum initium habere: ad unumquodque punctum temporis praeterlapsa erit aeternitas, et proinde infinita series statuum succedentium rerum in mundo. Atqui infinitas seriei cujusdam cernitur in eo ipso, quod ea nunquam potest synthesi successiva absolvi. Ergo praeterlapsa series mundi infinita esse non potest, proinde in initio mundi posita est conditio necessaria exsistentiae ejus, id quod primum erat probandum."[59]) Haec Kantii mirum quantum convenit cum Bonaventurae demonstratione.

---

§ 6.

Argumentum quartum.

1. Ejus, quam quarto loco tentavit s. Bonaventura, demonstrationis probabilitas hodie jam nulla est, quia nulla est axiomatis, quod demonstrationi illi subjectum fuit. Nimirum mediae aetatis philosophis, cum quibus in hoc genere facit Bonaventura, perinde atque Aristoteli pro explorato fuit, intelligentias coelestes sidera „per contactum virtutis" movere ideoque eorum motus probe dispectos habere. Praeterea Bonaventura statuit, cognitionem angelorum, licet humanam longo intervallo antecedat, finitam esse eandemque actualem, ex qua nihil dispereat, quod semel amplexa sit; propterea angelos infiniti nihil cognoscere posse. Quo praemisso argumentatur sic: Mundum fac aeternum esse infinitosque numero motus ejus, angelos jam oportet illos una cognoscere, i. e. quae sunt infinita, finita cognitione comprehendere — id quod absonum videtur. An rem ei probabiliorem fore

---

56) Crit. rat. pur. ed. Rosenkranz, p. 338.

57) Cf. Thom. S. th. p. I q. 46. a. 1.: „Dicendum quod Deus est prior mundo duratione. Sed ly prius non designat prioritatem temporis, sed aeternitatis. Vel dicendum, quod designat aeternitatem temporis imaginati et non realiter exsistentis, sicut quum dicitur: Supra coelum nihil est, ly supra designat locum imaginarium tantum, secundum quod possibile est imaginari, dimensionibus coelestis corporis dimensiones alias supperaddi."

58) Audacius quam justius Erhardtius (Kritik der Kantischen Antinomienlehre p. 4 sq.) hanc demonstrationem ulla ex parte satisfacere negat.

59) Crit. rat. pur. p. 338.

censebis, qui angelis motuum utpote inter se parium cognitionem in una specie positam vindicet? Sed probe tenendum est, illos motus in causa esse, cur multa fiant in terra; et hos effectus inter se valde differre intelligentiasque eos non solum summatim, sed etiam singillatim cognoscere neque eos una idea capere. Infinito igitur idearum numero opus esse, ut motibus aeternis, si qui exsisterent, capiendis pares essent. Quae quum ita sint, futilis est ista opinio.[60])

2. Haec demonstratio hodie christiano homini tantummodo probatur; christiani enim philosophi est credere, exsistere substantias intelligibiles, quae per species intelligibiles sibi inditas res creatas actu cognoscant cognitaque memoria teneant.[61]) Quamquam igitur ejusmodi argumentatio non valet in universum, contra Aquinatem christianum valet. Qui vero christianus aeternitatem mundi defendit, non potest quin concedat, substantias illas intelligibiles intellectu finito infinita complecti, quoniam res creatas cognoscant singulas, quae propter aeternitatem innumerabiles ideoque infinitae essent. Sequitur, ut mundus non sit aeternus.

---

§ 7.

Argumentum quintum.

1. In quinta demonstratione s. Bonaventura speciatim disserit, quae in altera summatim exposuerat: illic de rebus creatis, hic de hominibus, scilicet de animabus edocemur; illarum respicit ad successionem, harum ad simultaneitatem. Huic quoque argumentationi perinde ac superioribus generale principium praemittit, Aristoteli haud ignotum[62]): „Simul eodemque tempore infinitam rerum multitudinem esse non posse.“ Quod principium ut ad genus humanum referat, adjicit, mundum hominum causa creatum hominum genere nunquam caruisse — id quod Aristoteli quoque videtur[63]). Demonstratio ipsa procedit sic: Si mundus nullum initium habeat, hominum, quibus breve

---

60) „Quarta positio est ista. Impossibile est infinita a virtute finita comprehendi; sed si mundus non coepit, infinita comprehenduntur a virtute finita: ergo etc. Probatio majoris per se patet. Minus ostenditur sic. Suppono, solum Deum esse virtutis actu infinitae et omnia alia habere finitatem. Rursus suppono, quod motus coeli nunquam fuit sine spirituali substantia creata, quae vel ipsum faceret, vel saltem cognosceret. Rursus etiam hoc suppono, quod spiritualis substantia nihil obliviscitur. Si ergo aliqua spiritualis substantia virtutis finitae simul fuit cum coelo, nulla fuit revolutio coeli, quam non cognosceret, et non est oblita: ergo omnes actu cognoscit, et fuerunt infinitae; ergo aliqua spiritualis substantia virtutis finitae simul comprehendit infinita. Si dicas, quod non est inconveniens, quod unica similitudine cognoscat omnes revolutiones, quae sunt ejusdem speciei et omnino consimiles; objicitur, quod non tantum cognoverit circulationes, sed earum effectus; et effectus varii et diversi sunt infiniti: patet ergo etc.“ II S. d. l. p. I a. l. q. 2.

61) Quin substantiae intelligibiles res creatas per species innatas cognoscant singillatim, nullus mediae aetatis id philosophus dubitat; de modo tantum cognoscendi dissentiebant. S. Thomas docet, singularia ab angelo cognosci per species universales ipsi connaturales, quae etiam inferiora singularia distincte repraesentent Cf. S. th. p. I. q. 57. a. l. et 2; De veritate q. 8. a. 8 et 9. Aliter s. Bonaventura, qui angelum non indigere putat novarum specierum acquirendarum, tamen species universales concreatas non sufficere, ut singularia cognoscantur, „nisi angelus dirigat aspectum supra ipsum cognoscibile et secundum illud, quod est in re, ipse componat species in se“. II S. d. 3. p. II a. 2. q. l. —

62) Cf. Phys. III, 5; De coelo c. 5; Metaphys. X, 10 — quibus locis ostendit Aristoteles, in rebus naturalibus esse non posse infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine.

63) *Καὶ χρώμεθα ὡς ἡμῶν ἕνεκα πάντων ὑπαρχόντων ἐσμὲν γάρ πως καὶ ἡμεῖς τέλος.* Phys. II, 2.

contingit aevum, necesse est infinita multitudo adhuc vixerit, animae hominum immortales adhuc infinitam multitudinem efficerent. Infinita autem multitudo simul eodemque tempore exsistere nequit, nequit infinita animarum multitudo, mundus aeternus esse nequit.[64])

2. Pergit Bonaventura enarrare, alios, ne innumerabiles animas statuere cogerentur, μετεμψύχωσιν docuisse, alios omnium animarum unitatem: prius illud commentum jam ab Aristotele esse refutatum, quia anima ut forma in uno tantum eoque certo corpore habitare possit;[65]) „secundum,“ inquit, „etiam magis est erroneum, quia multo minus una est anima omnium.“[66])

3. Haud diffitetur s. Thomas, huic quintae demonstrationi suum pondus inesse, „quod illa objectio inter alias fortior sit.“[67]) Quae vero contra dicit, ea omnino non faciunt ad rem. Sed accuratius de iis videamus. Scilicet negat, ex mundi aeternitate sequi, ut ad unum omnia animantium genera aeterna sint; si animae hominum in tempore creatae sint, demonstrationi illi deesse fundamentum[68]). Nos non negamus, Deum mundum prius hominibus creare potuisse. Ut hoc largiamur, nullius tamen est momenti. Modo mundus aeternus sit, una cum eo Deum etiam animas creare potuit; si potuit, mundus non est aeternus, nisi forte infinitam animarum multitudinem una exsistere posse iterum contendas.

4. Ex axiomate, de quo inter Bonaventuram et Thomam[69]) nulla est dissensio, mundum hominis causa creatum esse, sua sponte deduci potest, hominem tempore ortum et mundum aeternum, haec duo inter se pugnare. Mundus aliqui aeternus non ad hominem potissimum pertinet. Quae enim aeterna sunt, nullum scopum paulatim attingere possunt, quia in illis evolutio et explicatio nihil invenit, unde procedat; rerum aeternarum etiam scopus, finis, perfectio aut aeterna sunt aut nulla. Si vero mundus initium habet, scopum habere ne tunc quidem desinit, quum hominem multis saeculis post exstitisse credamus. Intervallum enim temporis inserviit futuro hominum generi, mundus ex „rudi indigestaque mole“ sensim conformatus est, ita ut dignam atque aptam hominibus sedem praebere inciperet.

5. Quoad infinitam, cum qua nobis res esset, animarum multitudinem s. Thomas ita: „Adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu.“[70]) Possibilem igitur censet esse numerum actu infinitum. Demiramur haec verba; ipse enim secum pugnat s. Thomas, quum aliis

---

64) „Quinta est ista. Impossibile est infinita simul esse; sed si mundus est aeternus sine principio, quum non sit sine homine — propter hominem enim sunt quodammodo omnia — et homo duret finito tempore: ergo infiniti homines fuerunt. Sed quot fuerunt homines, tot animae rationales: ergo infinitae animae fuerunt. Sed quot animae fuerunt, tot sunt, quia sunt formae incorruptibiles: ergo infinitae animae sunt.“ II S. d. l. p. I. a. l. q. 2.

65) Cf. Aristot. De anima II. 2. —

66) II S. d l. p. I. a. l. q. 2. De unitate animarum hariolatus est Averroës, contra quem scripserunt Albertus Magnus et Thomas commentationes, quae sunt: „De unitate intellectus contra Averroën.“

67) In libr. sent. II d. 1 q. 1 a. 5 ad 6. Cf. De aeternitate mundi sub fine: „Inter quas (rationes) illa est difficilior, quae est de infinitate animarum.“

68) „Quod haec ratio particularis est. Unde posset dicere aliquis, quod mundus fuit aeternus vel saltem aliqua creatura, ut angelus, non autem homo. Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno.“ S. th. p. I. q. 46 a. 2 ad 8. Cf. De aetern. mundi sub fine: „Sed haec ratio non est ad propositum, quia Deus mundum facere potuit sine hominibus et animabus; vel tunc etiam potuit hominem facere, quando fecit, si etiam totum alium mundum fecisset ab aeterno; et sic non remanerent post corpora animae infinitae“.

69) Cf. In libr. sent. d. l. q. 2. a. 3.

70) De aeternitate mundi. Cf. C. G. II. 81: „Quidam vero, omnia praedicta vitantes, dixerunt non esse inconveniens, animas separatas actu exsistere infinitas: esse enim infinitum actu in his, quae non habent ad invicem ordinem, est esse infinitum per accidens, quod ponere non reputant inconveniens“ — quam opinionem s. Thomas non improbare videtur; adnotat enim: „Ultima praedictarum opinionum principiis ab eo (i. e. Aristotele) positis non repugnat; nam probat infinitum non esse actu in corporibus naturalibus, non autem in substantiis immaterialibus.“

locis rerum simul exsistentium actu infinitam multitudinem abjicit. „Impossibile est", ait, „esse multitudinem infinitam in actu etiam per accidens. Sed esse multitudinem infinitam in potentia possibile est, quia augmentum multitudinis consequitur divisionem magnitudinis",[71]) et alibi: „Et ideo, sicut Deus non potest facere equum rationalem, ita non potest facere ens actu esse infinitum".[72]) Undenam discrepantiam istam repetemus? Sunt, qui opusculum, cui inscriptum est: „De aeternitate mundi contra murmurantes", quo sensa illa singularia promuntur, ab Aquinate abjudicent.[73])

6. Ceterum si infinitam multitudinem rerum, quarum aliae aliis succedant, jam nullam exsistere posse supra demonstravimus, haud magis exsistere poterit rerum simul exsistentium. Si vero adhuc temporis momenta numero infinita essent praeterlapsa singulisque momentis singulae creaturae perpetuo permanentes factae essent — en infinita simul subsistentium rerum creatarum multitudo! Efficitur, ut quae de altera multitudine infinita praedicantur, praedicanda sint de altera. Illam sustulisse videmur, hanc jam non defendemus.

7. Ut breviter complectar, quae disputavi, Bonaventurae demonstratio quinta contra Aquinatem stabit.

---

§ 8.

Argumentum sextum.

1. Restat sexta demonstratio: creatum esse aliquid idemque sine principio esse, haec duo pugnare inter se.[74]) Notio enim rerum creatarum exigit, ut *τὸ μὴ εἶναι* praecedat *τὸ εἶναι.* Atqui mundus habet *τὸ εἶναι,* quod successit *τῷ μὴ εἶναι.* Quidquid enim suum esse totum atque integrum accepit ab alio quodam, quod ab eo essentialiter differt, id ab hoc est ex nihilo procreatum. Quodsi mundus suum esse totum atque integrum a Deo tenet acceptum, qui ab ipso mundo essentialiter et substantialiter discernitur, a Deo procreatus est ex nihilo. Neque „nihil" illud, ex quo Deus mundum

---

71) S. th. p. I. q. 7. a. 4.

72) Quodl. IX. a. 1.; cf. XI. a. 2.

73) Cf. Stentrup (l. c. p. 43): „Hätten wir nicht für die Echtheit der Abhandlung „Ueber die Ewigkeit der Welt" einen Gewährsmann wie Bernard de Rossi es ist, wahrlich, man möchte sich versucht fühlen, dieselbe dem hl. Thomas abzusprechen." Diserte Kleutgenius (Philosophie der Vorzeit, II tom. n. 980): „Es ist zweifelhaft, ob diese Schrift (De aeternitate mundi) nicht einem andern Verfasser angehört." Aliter Peschius (l. c. p. 454): „Nisi potius malis dicere, eum illo loco (cf. supra n. 5) vehementius disputantem abreptum esse, ut semel ipsi ex ore exciderit, repugnantiam numeri actu infiniti nondum esse „demonstratam."" Nemini arridebit Plassmanni inventum (Die Schule des hl. Thomas, tom. V p. 383): „Als Thomas sein Opusculum schrieb, hatte er sicher schon die Sache durch und durch durchdacht. Doch schienen ihm die Gründe für die Unmöglichkeit des infinitum actu damals noch nicht stichhaltig genug, oder er befürchtete, dass noch unlösbare Objektionen kommen könnten. Daher schreibt er am Ende des genannten Opusculum: „et praeterea: adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu." Fatendum sane, nonnulla, quae in illo opusculo s. Thomas protulit, mirationem facere.

74) Quam repugnantiam graviter premit s. Bonaventura alio loco (I S. d. 44. a. l. q. 4): „Primum credo (quod Deus mundum creaverit ab aeterno, quum produxerit ex tempore) impossibile simpliciter, quoniam implicat in se contradictionem. Ex hoc enim, quod ponitur „fieri", ponitur habere principium; ex hoc autem, quod ponitur aeternus, ponere non habere principium. Unde idem est quaerere, utrum Deus potuerit ante mundum facere, quod mundus habendo principium non haberet principium."

creavit, idem esse potest quod materia; quare „ex nihilo creare" nihil aliud sibi vult nisi ordinatam esse non-essendi et essendi successionem. Ergo mundus primum non fuit, deinde fuit et est, et mundi aeternitas nulla est.[75])

2. Ut breviter dicam, hoc quoque demonstratum est, verba, quae sunt „ex nihilo", jam τὸ „post nihilum" (sit venia verbo!)[76]) continere. Hoc ipsum impugnat s. Thomas, rationem prae se ferens, quae intercedat inter causam et effectum: causae efficienti, nisi moveat, non essentialiter competere, ut effectum antecedat duratione; si effectus subitaneus sit, ut initium et finis actionis coincidant inter se, durationem et tempus causae et effectui non esse interjecta. Velut lucem et ejus effectum i. e. illuminationem unius et ejusdem temporis esse; Deum vero non paulatim, sed uno actu mundum procreasse; ergo non postulari, ut Deus mundum tempore praecedat.[77])

3. Respondemus denuo, Aquinatem secum pugnare ipsum. Quotiescunque enim causa et effectus aequalia sunt et contemporanea, toties quasi eadem sunt et ita conformata, ut alterum sine altero cogitari nequeat. Ut enim concedamus, quod hujus nostrae aetatis scientia physica negat, lucem et illuminationem unius temporis esse: haec duo tam arte sunt connexa inter se, ut alterum sine altero non exsistat; lux enim non cognoscitur nisi ex lucendo. Hanc necessitudinem si quis referat ad Deum mundumque, jam Deus sine mundo nullus esset — id quod sapit pantheismum.

4. Ceterum quae hodie est naturae cognitio, lucis perceptio posterior est lucis exsistentia. Actio enim productiva, quae comprehendit creationem, hoc habet proprium, ut tendat ad rem aliquam procreandam, quae extra causam gigni et collocari debeat. Quapropter causa et effectus nunquam possunt coincidere; nihil refert, utrum actio sit instantanea an per motum fiat.

5. Neque aptius est alterum exemplum, cujus jam s. Augustinus mentionem fecit,[78]) pedem dico, qui ab aeterno in pulvere positus ab aeterno vestigia efficiat. Nam si haec necessitudo ab aeterno esset, non haberemus causam et effectum, sed simplicem essendi vim, quae utrique competeret: vestigia non essent a pede effecta, sed ab aeterno tempore per se essent. Comparatio igitur haec non demonstrat aeternitatem mundi, sed ita tantum institui posset, si de aeternitate mundi jam constaret.[79])

6. Haud absonum est Bonaventurae de his exemplis judicium, etsi prius paulo mutatum exhibeat. Admittit utrumque ea conditione, ut materia, ex qua mundus formatus sit, extra Deum statuatur eademque aeterna. Si Deus res ex materia formaret, suae actionis vestigia iis impertiretur, id quod ab aeterno fieri posset, quia materia ab aeterno esset. „Ponere autem," inquit, „mundum aeternum, praesupposita aeternitate materiae, rationabile videtur et intelligibile, et hoc duplici

---

[75]) „Ultima ratio ad hoc est: impossibile est, quod habet esse post non-esse habere esse aeternum, quoniam hic est implicatio contradictionis; sed mundus habet esse post non-esse; ergo impossibile est esse aeternum. Quod autem habeat esse post non-esse, probatur sic: omne illud, quod totaliter habet esse ab aliquo, producitur ab illo ex nihilo; sed mundus totaliter habet esse a Deo: ergo mundus ex nihilo, sed non ex nihilo materialiter, ergo originaliter. Quod autem omne totaliter producitur ab aliquo differente per essentiam, habeat esse ex nihilo, patens est. Nam quod totaliter producitur, producitur secundum materiam et formam; sed materia non habet, ex quo producatur, quia non ex Deo; manifestum est igitur, quod ex nihilo. Minor autem, scilicet quod mundus a Deo totaliter producatur, patet ex alio problemate." II S. d. 1. p. I a. 1. q. 2.

[76]) Proprie „post nihilum" dicere philosophum dedecet, quoniam ante creationem nec tempus fuit.

[77]) „In operatione subita simul, immo idem est principium et finis, sicut in omnibus indivisibilibus. Ergo in quocunque instanti ponitur agens producens effectum suum subito, potest poni terminus actionis suae. Sed terminus actionis est simul cum ipso facto. Ergo non repugnat intellectui, si ponatur causa producens effectum suum subito, non praecedere duratione causatum suum." De aeternit. mundi.

[78]) De civitate Dei, X. 31. — Cf. Thom., De aeternitate mundi.

[79]) Cf. Athenaeum, l. c.

exemplo. Egressus enim rerum mundanarum a Deo est per modum vestigii. Unde si pes esset aeternus, et pulvis, in quo formatur vestigium, aeternus esset, nihil prohiberet intelligere, vestigium pedi esse coaeternum, et tamen a pede esset vestigium ... Rursus aliud exemplum rationabile. Creatura enim procedit a Deo ut umbra, Filius procedit ut splendor; sed quam cito est lux, statim est splendor et statim est umbra, si sit corpus opacum ei objectum. Si ergo materia coaeterna est auctori tanquam opacum; sicut rationabile est ponere Filium, qui est splendor Patris, coaeternum: ita rationabile videtur, creaturas sive mundum, qui est umbra summae lucis, esse aeternum."[80]) Quodsi ita esset, sua sponte intelligitur, creationem ex nihilo non magis locum habere, quam Dei libertatem creandi.

7. Porro s. Thomas explicite demonstrare conatur, creaturam per se non habere, cur ordini durationis assignetur. „Ordo," ait, „multiplex est: scilicet durationis et naturae. Si igitur ex communi et universali non sequitur proprium et particulare, non erit necessarium, ut propter hoc, quod creaturam esse post nihilum dicitur, prius duratione fuerit nihil et postea fuerit aliquid, sed sufficit, si prius natura sit nihil quam ens; prius enim inest unicuique naturaliter, quod convenit sibi in se, quam quod solum ex alio habet. Esse autem non habet creatura nisi ab alio, sibi autem relicta in se considerata nihil est: unde prius naturaliter inest sibi nihil quam esse. Nec oportet, quod propter hoc sit simul nihil et ens, quia duratione non praecessit; non enim ponitur, si creatura semper fuit, ut in aliquo tempore nihil sit, sed ponitur, quod natura ejus est talis, quod esset nihil, si sibi relinqueretur."[81])

8. Quam distinctionem ordinis naturae et ordinis durationis Albertus Magnus respuit: id solum aliud quidlibet natura praecedere, quod in principiis substantialibus illius rei habeatur vel de ea praedicetur. „Nihilum" vero non posse pro principio constitutivo naturae alicujus rei creatae accipi neque essentialiter praedicari de ea.[82]) Recte quidem. Sane res creatae ex nihilo prodeuntes, si Dei auxilio privarentur, in nihilum redirent, neque vero eam ob causam „nihilum" licet principium constitutivum creaturarum appellare. Vox igitur ista, quae est „ex nihilo", significat non *τὸ μὴ εἶναι* prius fuisse quam *τὸ εἶναι*, quasi Deus „nihilo" impertiat *τὸ εἶναι*; nisi forte credas, illud *τὸ μὴ εἶναι* creaturae magis esse proprium quam *τὸ εἶναι*. Jam nihil relinquitur, nisi ut illud „prius" accipiamus tamquam „prius secundum durationem", i. e. temporis a parte ante finis et terminus, unde profectum est, fuit nihilum. Quae si recte disputavimus, creaturae, quotcunque sunt, sine initio esse non possunt; iis non solum ordo naturae, sed etiam ordo durationis proprius est.[83])

9. Eodem perveniemus disceptantes creandi notionem.[84]) Creatione enim aliquid in statu *τοῦ εἶναι* collocatur, quod antea nullo modo fuit in eo, novum esse procreatur, quod antea non fuit. Sic ipse s. Thomas creationem definit his verbis: „Creatio nihil est aliud realiter quam relatio quaedam cum novitate essendi",[85]) et alio loco: „Creatio importat habitudinem creaturae ad creatorem cum quadam novitate seu inceptione."[86]) Qui igitur veram creationem credit, humana cogitandi ratione inter Deum creatorem et creatum mundum non potest quin „nihilum" tanquam medium aliquid

---

80) II S. d. 1. p. I. a. 1. q. 2.

81) De aeternitate mundi.

82) Cf. S. th. p. II. tr. 1. q. 4 inc. II.

83) S. Anselmus quoque creatum esse mundum simulque initium habere temporale docet. „Vera aeternitas," inquit, „principii finisque meta carere intelligitur, quod nulli rerum creatarum convenire ex ipso, quod de nihilo factae sunt, convincitur." Monolog. 27.

84) Creatio sumitur aut active sive ex parte Dei aut passive sive ex parte creaturae. Nobis sermo est de creatione passiva.

85) De potent. q. 3. a. 3. c.

86) S. th. p. 1. q. 45. a. 3.

interponat, ut necessitudo causae intercedat. Hoc ubi concessisti, aeternitatem creationis missam fac. Non potest enim quidquam essendi initio carere idemque quoad totum suum esse ex creantis voluntate prodiisse.[87])

10. De eadem re s. Bonaventura sic: „Productio rei non ponit inchoationem rei necessario, sed productio ex nihilo necessario ponit; hoc ex non potest dicere identitatem nec causalitatem, ergo ordinem; ergo fieri „ex nihilo“ habet esse post nihil et ita post non-esse; ergo aliquo modo se habet nunc, quo non se habebat prius, et ideo necessario mutatio ponitur per productionem de nihilo vel inceptio.[88]) Creationi passivae igitur nomen indit s. Bonaventura mutationis, quia illa τὸ μὴ εἶναι traducit in τὸ εἶναι et sic novi aliquid facit, quod antea non fuit.[89]) Et rectissime monet, quam immenso intervallo creatura distet a creatore; eo potissimum cerni, quod hic sit aeternus, illa creata sit in tempore. „Creatura enim, inquit, habet in se possibilitatem et vanitatem, et utriusque causa est, quia producta est de nihilo; quia enim creatura est et accipit esse ab alio, qui eam facit esse, cum prius non esset; ex hoc non est suum esse, et ideo non est purus actus, sed habet fluxibilitatem et variabilitatem, ideo caret stabilitate et ideo non potest esse nisi per praesentiam ejus, qui dedit ei esse. . . Et iterum, quia creatura de nihilo producta est, ideo habet vanitatem: et quia nihil vanum in se ipso fulcitur, necesse est quod omnis creatura sustentetur per praesentiam Veritatis.“ Sed discrimen illud aliqua ex parte tollitur ab iis, qui creaturis aeternitatem largiuntur.

11. Licet denique cum s. Fulgentio ratiocinari in hunc modum: Deus mundum creat, non ex sua essentia facit. Quum non sit divinae essentiae, aliud est ejus esse. Atqui Dei essentia a temporis finibus sejuncta, aeterna est; ergo mundus tantummodo temporale esse habet; Deus non fuit, sed est semper, mundus esse incepit.[90])

12. Creatio ex nihilo, ut supra vidimus, postulat, ut id, quod ea efficitur, initium essendi habeat. A conservatione creatio ita distinguitur, ut haec τὸ esse ponat, illa positi durationem praestet. Si igitur mundum haberemus aeternum, esse ejus non haberemus positum, immo aeternum. Non restaret ulla creandi actio, quia nullam creandi quasi ansam quidquam actioni praeberet; creatae res essendi jam participes ab aeterno non jam creandae, sed tantummodo conservandae essent. Omnis igitur Dei operatio redigeretur ad conservationem; vel propterea mundus sine initio esse nequit.

Demonstrasse videmur argumenta, quibus s. Bonaventura aeternam creationem redarguit, (si a quarto recesseris), etiamnunc recte habere atque adeo primarium quendam locum tenere.

---

87) Uno verbo hujus rei meminit s. Thomas. „Manifestius“, ait, „mundus ducit in cognitionem divinae potentiae creantis, si mundus non semper fuit, quam si semper fuisset; omne enim, quod non semper fuit, manifestum est habere causam; sed non ita manifestum est de eo, quod semper fuit. S. th. p. I. q. l. a. 46. ad 6.

88) II S. d. l. p. I. a. 3. q. l. Triplicem mutationem distinguit s. Bonaventura: „Mutatio ad esse nihil ponit nisi a parte termini, mutatio ab esse nihil ponit nisi a parte principii, mutatio in esse ponit ex parte utriusque; et ideo mutari primo modo nihil aliud est quam nunc primo esse, mutatio secundo modo nihil aliud est quam nunc ultimo esse, et ideo non ponit aliquid aliud secundum rem, sed solum secundum intentionem, mutatio vero in esse utrumque extremum habet et subjectum, quod est prius natura quam terminus“ L. c. q. 2. Creatio potest haberi mutatio„ad esse.“ S. Thomas recusat quam maxime creationem accipere pro immutatione, dissentit tamen a s. Bonaventura non tam re, quam verbis. Cf. S. th. p. I q. 45. a. 2. ad 2; De potest. q. 3. a. 2.

89) „Quando res totum de novo recipit et accipit, tunc mutatur maxime, sed hoc in creatione; ergo ibi vere est mutatio.“ L. c. q. l.

90) „Hic Deus, qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint, non tamen sine initio; quia nulla creatura ejusdem est naturae, cujus est Trinitas.“ De fide ad Petr. c. 3.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IX—X.
II. Jus canonicum tradere perget diebus Veneris et Saturni h. IX—X.
III. De arte ecclesiastica disseret semel hebdomade hora definienda.

Dr. Henric. Oswald, P. P. O.

I. Praemissa introductione doctrinam de Deo eiusque essentia et attributis ac deinde de S. Trinitate tradet quater vel quinquies per hebd. hora X.
II. Repetitorium dogmaticum disputandi et examinandi causa instituet semel p. h. hora X.
III. Linguae vel hebraicae vel gothicae elementa docebit bis terve p. h. hora VII. antem.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Psalmos interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
II. Evangelium sec. Marcum explicabit ter per hebd. hora VIII.
III. Introductionem generalem in sacros Veteris et Novi Testamenti libros dabit horis deff.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem specialem tradet quinquies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis ethicae christianae cupitibus instituet semel per hebd. hora XI.
III. Historiam literariam ecclesiae primaevae enarrabit hor. def.

Dr. Antonius Kranich.

I. Apologeticen tradet bis hebdomade horis deff.
II. Hymnologiam docebit bis hebdomade horis deff.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Krause, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
II. Logicam et noëticam docebit bis per hebd. hor. X.
III. Paedagogicen tradet bis per hebd. hor. deff.
IV. De arte catechetica disseret hor. deff.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris partes praecipuas enarrabit ter per hebd. hora XI.
II. Germanorum antiquitates imprimis res mythologicas exponet bis per hebd. hor. XI.
III. Historiam poësis christianae apud Germanos cultae tradet, aut de praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel vel bis per hebd. hor. deff.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Antiquitates q. v. cum ethnicas tum christianas ex inscriptionibus explicabit ter hebdomade hora IX.
II. Euripidis Iphigeniam Tauricam bis hebdomade h. IX. leget cum commilitonibus.
III. Exercitationes latine loquendi instituet h. d.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disseret bis hebd. hora VIII.
II. Principia chemiae explicabit ter hebd. hora VIII.
III. Selecta capita physices exponet semel hebd. hora VIII.
IV. Geometriam analyticam tradet horis deff.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto Regio: Quibus ex partibus hominis natura constet, et quae sit earum mutua relatio, exponatur.

II. Ex instituto Scheill-Busseano: Quibus modis et mediis Hosius Cardinalis Warmiensis ecclesiam sui temporis reformandam esse censuerit.

De priore quaestione Ordini libellus traditus est insignitus his verbis: „Natura nostra est consortium quoddam animae et corporis.“ Augustin. in Ps. 68.

Hujus commentationis scriptor argumentum, quod propositum erat, diligentur solideque tractavit et fere omnia ejus capita concinne quidem sed strenue explanavit eloquio usus sermonis latini correcto et in rebus etiam difficilioribus perspicuo; nec est quod reprehendas, nisi forte, quod subsidia literaria pressius quam par erat secutus non ubique nomen auctoris addidit. Ast quoniam in opere ceterum laudabili pauci naevi leviter tantum offendunt, Theologorum Ordo unanimi consensu disputationem hanc praemio ornandam esse censuit.

Aperta schedula innotuit:

Andreas Woywod, stud. theol.

De altera quaestione opusculum exhibitum est sic inscriptum: „Homines per sacra immutari fas est, non sacra per homines.“ Aegidius Viterbiensis.

Commentationis auctor nonnunquam a grammaticae dictionisque latinae regulis aberravit, acta vero dictaque Cardinalis Warmiensis ad rem illustrandam idonea diligenter conquisivit, apte disposuit, dilucide exposuit. Cumque majoris momenti sit rei ipsius tractatio quam accurate scribendi ars atque scientia Ordo Theologorum libellum praemio indignum judicare noluit.

Reclusa charta prodiit:

August Terletzki, stud. theol.

Ordo Philosophorum ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat:

Francisci Episcopi Warmiensis vita resque ipsius tempore cum in Prussia tum in Warmia gestae enarrentur.

Subjecta est Ordini una commentatio, hisce verbis insignita:

„Pauperis adjutor Franciscus et ordinis ardor,“
„Hostis Pruthenae maximus ille Ligae.“

Scriptor magnam et laudabilem diligentiam adhibuit, ut ex omni parte quaestioni, quantum posset, satisfaceret; quo tamen in studio saepius oratio nimis longa lataque accrevit.

Sermo quidem, quo usus est, mendis satis purus, dicendi facultatem nitoremque quendam significat, sed saepenumero inani verborum sonitu et declamationibus quibusdam usque recurrentibus lector defatigatur.

Rem tamen universam, ut et de scriptionis argumento et de dicendi modo judicemus, scriptor bene expedivit, quapropter jure meritoque praemio dignus praedicatur.

Rescissa schedula prodiit nomen:

Julius Borzynski, stud. theol.

In currentem annum commilitonibus hae quaestiones proponuntur:

ab Ordine Theologorum

I. Ex stipendio Regio:
De motivis humanarum actionum tam naturalibus quam supranaturalibus disputetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano:
Ritus baptizandi parvulos qui nunc viget ex primaevae ecclesiae institutione catechumenorum ac disciplina illustretur.

ab Ordine Philosophorum

Ex instituto Regio: Kantius et Raimundus a Sabunde esse Deum ex honesti principiis repetentes quomodo inter se differant.

Commentationes latino sermone conscribendae et usque ad festum Nativitatis D. N. J. Chr. a. MDCCCLXXXX Rectori consueto modo obsignatae sunt tradendae.